



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

37. De Deo vt est Refugiu[m] nostru[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

lum, lucidissimum est; quia illustratur infinita luce cognitionis ipsius.

3. Ipse est lux per excellentiam, utpote infinitè supra omnem lucem creatam & creabilem eleuata; in qua, omnis lux eminentissimè continetur; & à qua, omnis lux, ut tenuis participatio descendit. Dicitur *Lucem habitare inaccessibilem*, quia cognitione, amore, & fruitione habitat in se ipso, qui est lux inaccessibilis; cum nulla creatura viribus naturæ possit illam, vel sola cognitione attingere.

CONSIDERATIO XXXVII
De Deo ut est refugium nostrum

Dicitur *Refugium nostrum*; quia in omnibus afflictionibus animi & corporis, in omnibus tentationibus, in omnibus periculis, in omnibus angustiis & neces-

& necessitatibus, quando aliunde
 subsidium & opem non speramus,
 habebimus refugium ad ipsum, &
 possumus nos per orationem ad
 ipsum conuertere, opem imploran-
 do; & ipse cum firma spe, & fi-
 ducia, ad se confugientes nunquam
 repellit, quantumuis illum offen-
 derint, & multis gehennis digni-
 sint; sed semper eos exaudit, præ-
 stando id quod ab ipso petunt, vel
 aliquid longè præstantius & utilius
 petentibus.

2. Quia vbi omnes aliæ creaturæ
 nos deserunt, vel opem ferre non
 possunt; ipse solus numquam de-
 serit, sed semper, & intra nos, &
 extra nos, & circum nos, vndique
 & ex omni parte adest nobis, para-
 tus iuuare, consolari, & saluare.
 Vnde meritò cum Dauide dicere
 possumus; *Deus refugium nostrum,*
 & *virtus; adiutor in tribulationibus*
quæ inuenerunt nos nimis; propterea

L

non

non timebimus dum turbabitur terra,
 & transferentur montes in cor maris.
 Et, Dominus illuminatio mea & salus
 mea, quem timebo? Dominus protector
 vite mee, à quo trepedabo? & infra,
 Quoniam pater meus & mater mea
 dereliquerunt me, Dominus autem
 assumpsit me.

3. Quia est singulare Refugium
 omnium iustorum, qui huius seculi
 pertæsi, eiusque fallacias, maligni-
 tatem & ærumnas fugientes, ad
 Deum tanquam fontem vitæ, &
 omnium bonorum abyssum (in
 qua sola perfectam quietem obti-
 nebunt) toto desiderio suspirant:
 ipse enim est vltimus finis, & extre-
 mus omnium desideriorum termi-
 nus, ad quem omnes toto mentis
 impetu confugere debent, vt bea-
 tissimam quietem assequantur.